

restitit se quidem propter suam servandæ virginitalis studium, ac lacrymas pie fusas de salute securum esse, attamen adhuc vri lustrica flamma, ob immoderatam bilem suam, contemptumque aliorum. Cæterum F. Stellam jaculi instar celerime per purgatorium transiisse ob accuratam legum Religiosarum observationem. Cum autem primum cælo donatus esset, auditam in purgatorio vocem istam : Adeste animis fratres Minores, in gratiam Religiosi illius fratris vestri recens cælesti gloria jam potiti, tertia pars cruciatum aliqui subeundorum, ex misericordia divina vobis condonatur.

Thomas Cantipratanus refert, se a quodam Ordinis sui Religioso, qui mundum passim peragrarat, audivisse, quod magnum quemdam Dominum cognoverit, qui in vita sua gaudiis quidem mundanis deditus, sed postea ad penitentiam conversus, familiares suos, ad se accersivit, iisque dixit, propositum sibi esse deinceps domus suæ moderandi sumptus, et pro faciendis restitutionibus, et erogandis in expiationem peccatorum suorum elemosynis, suam reformandi familiam, id quod postea reipsa est executus : demum vero multas instituit Capellanas pro Missis defunctorum celebrandis, quod cum dæmon ferre non posset, subditos suos adversus ipsum suscitavit, qui se cum Rege quodam prædicti domini inimico conjunxerunt, promittentes se illi auxiliaturos, ut Principem et dominum suum opprimere possent, utpote adversus quem juste essent exasperati, eo quod omnia bona sua in presbyteros expenderet. Rex igitur quosdam snorum ad dictum Principem ablegavit, tempus advenisse, quo ab eo die injuriis sibi factis rationes, reddendæ essent, omnino enim sibi decretum esse, justam de ipso vindictam sumere, quem in finem diem præfixum ei determinavit. Princeps igitur postquam nobiles, et ducatus sui primales hæc de re certiores fecisset, sequens ab illis reititit responsum : Hactenus nos ut servos et fatuos reputasti, solis mundi seductoribus clericis adhæstisti, nunc te juvent illi, et consulant in adversis : tibi autem succurrere nec volumus, nec valemus. Hæc ut vidit Dux, vehementer expavit, et mox se confrens ad castrum munitissimum solius Dei auxilium imploravit. Medio autem tempore condici diei, prospectans Dux per propugnacula cum quibusdam, vidit ingentem exercitum albatorem in albis equis clypeis

Cruce rubra consignatis eminus venientem, et mox stupens dixit suis : Numquid videtis, ait, illa, quæ video? Et illi : Nihil inquirunt; et mox omnes cum Duce supplices preces dantes ad Dominum, viderunt innumerabilem exercitum albatorem. Tunc Dux cum quibusdam ex suis exiens, curvavit genua : cui unus obvius multis millibus, elevavit eum, dicens : Ne verearis fidelissime Princeps, venturi Regis adventum. Adsunt isti divino jussu parati juvare te, quos elemosynis, et Missarum suffragiis de Purgatorio liberasti : medio autem tempore condici diei liberabuntur alii, qui nobiscum in tum adjuvatum sunt venturi. Et hoc dicto, omnis illa albatorem turba disparuit. Dux vero reversus in castrum cum suis omnibus Dominum benedixit. Ad diem ergo statutum Rex cum infinita multitudine suorum, et aliorum nobilium, qui contra Ducem dominum suum totum terræ populum adduxerant, quasi de victoria certus advenit, et in plantam prope castrum cum mira multitudine se diffudit. Venit et illi obvius Dux; nimirum alacer vultu, et animo inconcussus, stantique ubi castrum cum paucis exivit, illa tanta et tam innumeralibus multitudine cælestis exercitus ei est conjuncta, ut ex adverso castrorum cælestium multitudine Regis turba quasi modica videretur. Quod ut vidit Rex, et omnes qui secum erant, validissimo pavore concussi sunt, et advertentes magnalia summi Dei, projectis armis, obviis manibus in terram prostrati sunt, et ad voluntatem ducis cum ipsa vita, et rebus, totaliter se dederunt. Th. CANTIPR., l. II *Apum*, c. LIII, n. 30.

Sanctus Nicolaus Tolentinus adeo felici morte decessit, ut, veluti, de illo 10 septembris refert Breviarium Romanum, sex ante obitum mensibus, singulis noctibus Angelicum concentum audierit. Ita qui missam nocte una a Purgatorii spiritibus legationem benignus audivit, sequè illis juvandis spiritibus diligenter impendit, per singulas per semestre unum noctes a beatis cæli spiritibus recreatus spiritum dedit. NAD., *heb. 14, Mor.*, n. 3.

Beata Angelica Virgo celeberrimæ mortificationis, in mortis agone pro dulci migrantis animæ solatio, obvias habuit plures in Purgatorio animas, quæ illi gratias agebant de tot tantisque bonis operibus, quibus illas juverat apud Deum. IBD., n. 3.

De Beata Achatia ita scribitur ad rem

nostram; fidelium animas commendantissimas habuit, perpetuo pro eis orabat, quare cum ad cæmeterium tumulanda deferretur, auditum fuit a sororibus murmur tamquam persolventium officium defunctorum.

Cantipratanus narrat, Bruxellis quadam Religiosam seu a morte, seu a longa exstasi revivisse, et sororibus convocatis dixisse : Virginalium exercitum Coloniensem (Sanctam Ursulam et socias) vivens quotidie venerata sum, et earum precibus nunc a Purgatorio liberata, et ad hoc ad vitam redire compulsa sum, ut omnibus earum digne memoriam habentibus ad futura in morte harum suffragia nuntiarem : dummodo de vita tales exeant, quibus oratio valere possit. In hoc testimonio nunc iterum spiritum reddo, et expiravit. *Id.*, *heb. xv*, n. 11.

Joannes Major testatur, a mortuo quodam auditam Clerico in cæmeterio vocem : surgite fideles universi quantocins, et exite de tumulis vestris, quotquot in cæmeterio estis, ut convenientes in Ecclesia commendemus animam hujus defuncti charissimi nostri, et rependamus ei vicem beneficii sui : quoties enim per hoc cæmeterium transire solebat, toties pro nobis orationem specialem facere consueverat. Exsurrexere et facta in templo luminaribus pleno comprecatione pro mortuo ad tumulos rediere. *SPEC. V, funct.*, c. III.

P. Dominicus Assensus rem quandam difficultates habituram coram magistratu acturus, quindecim sacrificia obtulit pro animabus Purgatorii, et hac industria pietatis, adeo glaciem perrefregit, ut rem plane conficeret; nam in Senatu ubi comparuit, mira quindecim pro animabus oblatorum Sacrificiorum et calculorum correspondentia, quindecim in Senatu suffragiis pro ipso prononciatum est. Ita quot suffragia dedit, tot accepit. NAD., *heb. xxxvii*, n. 2.

Femina cæteroquin notæ, non optime tamen famæ, cujusdam sub extremum vitæ agonem cum paupertate, doloribus, ac æternitate luctantis mendicabuli miserta, liberali et materna pietate ac diligentia illi adstitit usque ad vitæ metas. Estimavit hoc quale sibi in paupere oriente ab illa impensum officii genus liberalissimum minorum nostrorum obsequiorum æstimato, et remunerator Deus. Ergo extinctus ille Lazarus huic suæ curatrici pro actione gratiarum, non ita multis a morte diebus se spectandum præbuit, in hæc verba illi

locutus : Eleemosynas tuas in Dei conspectum tuli, ejusque clementiam exoravi, ut pro iis tibi referretur gratia. Ipsius nunc permisso ad te venio, et hortor : age penitentiam, confessione culpas elue. Dissimulavit visa et audita durum ad primos divini mallei ictus cor, quia peccalis in saxum obrigerat; sed cum iterum videret eadem, et audire, ad tertiam tandem cæli vocem et diu nolente volens facta, ad spem veniæ assurrexit, et facta est, se ad inferni prope incitas jam redactam, e flagitiosissimo dæmonum volutabro, ex iis, in quibus per quadraginta quinque annos volutabatur, turpitudinibus, devotum et juratum dæmoni caput, cum nihil plene sacrum in aures admitteret, hæc tamen misericordiam arte a Deo miserante extractam, et factam illius mortui discipulam, cui morientis ancilla servierat. *Id.*, *heb. xli*, n. 4.

Cuidam supremo agone sollicito cælum aperiri visum, et effusa inde plurimum millium animarum corona se in vestibus candidis et splendidis armis stitit, eumque lætissimo animo esse jussit, stupente illo, neque præ lætitia se satis capiente ac petente quis esset ille exercitus : Animæ sumus, aiebant illæ animæ, quas tu e Purgatorio, ut in cælum citius evolare, adjuvisti; nunc qui nos juvit, juvamus, et par pari reddimus; veni, ut a fruamur Deo et gaudiis immortaliter duraturis. *Id.*, *Anno ætern.*, *heb. lxxxv*, n. 3.

Annus Collegii aium pium e Scholastica Societate Jesu disciplina adolescentem, data certa elemosyna, et sancto Misse sacrificio suppetias tulisse avunculi animæ sui in igne illo emendatorio debita per satis passionem, ut aium, exsolventi, quæ per satisfactionem non plene exsolverat vivus. Ergo pio nepoti adfuit liber ab illis incendiis avunculus post sacrum et gratias, aiebat. Age tibi, fili mi, polliceorquæ æternam beneficii abs te accepti memoriam. An. 1612, *Colleg. Vinocisbure in Flandria*.

Gundesindus quintus Compostellanus Episcopus et Comitis cujusdam filius, cum mundo magis quam Deo deditus esset, vitamque non satis pio fine clausisset, mater ejus, matrona pia, gravi confecta dolore, et de anima filii vehementer sollicita, ante aram beatissimi Jacobi Apostoli divinam misericordiam dies noctesque non destitit implorare, et fleibus, precationibus, jejuniis, elemosynis sibi demereri, interposito

Divi Jacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo ejusdem Apostoli vocem audivit : Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse. Jo. VASEUS, in *Chron. Hispanico ad An. 920.*

Senex quidam, qui extra civitatem Antinom commorabatur, magnæ virtutis vir, habebat decem discipulos, ex quibus unus erat valde negligens sui : ideo senex sæpius illum corripiebat et hortabatur dicens : Frater, sollicitudinem gere pro anima tua, habes enim mori, et nisi emendaveris te, in supplicium tendes. Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea quæ ab ipso dicebantur, admittebat. Contigit autem ut post aliquantum temporis iste moreretur, contristatus vero senior super illo valde cœpit orare et dicere : Domine Jesu Christe verax Deus noster, revela mihi, quid sit circa fratris animam. Adspexit autem in excessum mentis affectus fluvium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem ac fratrem illum ad medium usque demersum. Tunc ait illi senior : Nonne te propter hanc penam orabam, ut curam animæ ageres, illi? Respondit frater et ait seni : Gratias ago Deo, Pater, quod vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas supra caput Episcopi sto. *Prat. spir., c. XLIV.*

#### EXEMPLA DOMESTICA.

Signatus animarum purgantium juvenandarum desiderio incitatus instituit in patria sua, ut quotidie sub meridie signum daretur ad orationem pro defunctis. *Gloria s. Ign., c. XI.*

Sanctus Franciscus Xaverius parva campanula civitatem circumibat, et incolas ad orationem pro defunctis faciendam commonebat. *Epist., l. II, ep. iv.* Eundem in finem ejus consilio postea Malacæ homo constitutus est, qui quotidie noctu altera manu laternam, altera tintinnabulum tenens et pulsans exiret urbem, et clamaret : Orate pro animabus fidelium Christianorum, qui in purgatorio torquentur. Orate pro illis quoque, qui lethali peccato oppressi, relevari non laborant. Diligenter quoque omnes, quas poterat, indulgentias illis applicabat. Memor quoque fuit diligenter fratrum suorum defunctorum, et illis se in necessitatibus commendabat.

Sanctus Franciscus Borgias summam habebat curam animarum corporibus solutarum, ita ut etiam adhuc Dux Candia assidue pro illis orarit, et liturgias, remque divinam fieri curarit. Et, dum esset Prorex Gothalanæ pro singulis latronibus justitiæ a se premissis 30, sacra ære suo dici volebat. Cujus officii nomine, sæpe illi animas reduces apparuisse, gratiasque egisse, et vicissim preces suas in cœlo promississe narrant. SS. Missæ sacrificium quando offerebat, primum id obtulit pro mortuo, pro quo destinaret : deinde pro defunctis parentibus et cognatis : tertio pro omnibus e Societate Jesu mortuis : quarto pro sibi commendatis amicis et benefactoribus : quinto pro magis egentibus ope, et quæ æternæ libertatis erant magis vicinæ : denique pro illis, quibus hoc sacrificium obtulisse magis esset e Dei gloria, et major actus charitatis. Factus postea Generalis hanc ipsam misericordiam singulariter Societati commendavit.

Jacobus Laynes secundus Generalis inter alia media ad Societatem conservandam, etiam hoc in primis commendabat, ut quotidie, quamque frequentissime animarum, quæ purgatorio igne cruciantur, studiose omnes meminissent : nam quandoquidem Societas tantum exhaurit laboris, eo dumtaxat consilio, ut homines ad consequendam felicitatem juvet, quem ad finem creati, tantoque pretio redempti sunt, consentaneum profecto est, ut eundem prosequentes charitatis spiritum, etiam ex hæc vita digressis ad cursum conficiendum opitulenter, ne justa sit illis causa Societatis charitatem quasi imperfectam et maneam accusandi : et merito liceat conqueri, se medio in itinere, eoque in loco destitutos, ubi nullam omnino sibi ipsis opem queant afferre. *Hist. Soc., p. II, l. II, n. 89.*

Pater Petrus Faber tanto subinde sensu pro mortuis sacrificabat, ut toto sacri tempore lacrymæ ubertim ex oculis fluent. Optabat aliquando sentire vim dolorum, quos in Passione sua Christus ex tot animarum cruciatibus ante oculos jam tum propositis sensisset. Magnificiebat Ecclesiæ preces pro defunctis, illisque maxime utebatur dicens, illas præ cæteris Deo probari, valere etiam ad corporum anastimam, cujus mentio fit in ipsis precibus. Incitabatur ad hanc misericordiam, tum ex consideratione penarum, tum ex utilitate, quæ ex unius

animæ liberatæ patrocinio in Ecclesiam redundaret; tum ex majori Dei gloria, cum in purgatorio non ita possint Dei gloriam curare, sicut in cœlo. Sanctum Gregorium ideo præcipue coluit, quia tam luculenter de animabus illis scripsisset, illum maxime pro illis invocans. Volebat, ut nostri, si ob occupationes orare non possunt, saltem labores pro illis offerrent. Hæreticos vel eo nomine detestabatur, quod tantum animis quoque illis damnum superba eorum impietas afferret. *Vit., l. II, c. XVII.*

Pater Ferdinandus de Monnarii (alii Hernandus Monroy vocant, nisi forte diversus sit) priusquam moreretur, omnes Missas et pia opera, quæ post suum excessum per universam Provinciam pro ipso offerenda erant, animabus Purgatorii dono dedit, et hanc ipsam voluntatem suam literis consignavit. *Syll. Prov. Peruan., 21 sept. 1625.*

Pater Alphonsus Cortesius graviter a scrupulis exagitatus, cum hanc miseriam suam B. Virgini explicasset, auxiliumque petisset, hoc ab ea responsum tulit : Si vis liberari, libera et tu animas purgatorio igne cruciatas. *Ibid., 17 nov.*

Nadasi rem hanc ita refert : Alphonsus Cortes Societ. Jesu Virgini Matri Deiparæ totus plene devotissimus ac familiaris, ad illam in omnibus spiritus afflictionibus fidentissime recurrerebat, semper levamine apud illam reperto, et desiderii sui quiete plena fuit, cum molestis religiosissimæ conscientie mororibus inquietum sentiret cor, et ad quasdam peccatorum umbras pavidum atque omnia tua timens. His ergo conscientie scrupulis plena confidentissimi amoris querela, Dei Matri aliquando conquestus, efflicacem huic malo petiti medicinam. Auidit piæ clientis querelas magna Spiritus Magistra Virgo, et pro pharmaco sacrosancto dixit, ut esset magis devotus ergo animas Purgatorii. Successit consilium, adeo ut postea bene se in spiritu pergere a Beatissima Virgine intellexerit : pergeret modo majorem semper ad perfectionem suam omnia erudire. Denique se et Virgini, et Virgini filio benedicto placere didicit ab eadem; qua etiam admirabilia migranti animæ solatia infundente, in beatum illum sinum, spiritum cœlestibus divitiis opulentum deposuit. *NADASI, hebd. XXXVI, n. 1.*

P. Jacobus Remmirus erat animarum purgantium Patronus; unde hæc illi sæpis-

simè apparebant, creberrime ad januam illius pulsabant, et eo vehementius, quo magis ope illius indigebat. Sæpe cœmeterio, e cujus regione habitabat, auditæ sunt clamare : Pater Jacobe, ora pro nobis. *Ann. lit. 1618, coll. Ingolft.*

P. Dominicus Assensus rem quamdam graves difficultates habituram coram Magistratu acturus quindecim sacrificia obtulit pro animabus purgatorii, hinc et quindem pro se suffragia obtinuit, et pro eo velut potiore, voti compos est factus. *Jo. NAD., in Ann. mor., hebd. XXXVII, n. 2.*

Cum P. Joannes Falco Aschaffenburgi ægrotaret, anima quæpiam ipsum invisit, seque, si ipse semel sacrificium pro ipsa offerret, liberatum iri dixit, quod cum Pater alienis nixus manibus fecisset, addiit illa iterum, gratisque actis dixit : Non morieris hoc morbo, sed plurimas adhuc animas Deo paries, ac deinde in cœlum evocaberis. *Id., hebd. XVII, n. 9.*

S. Theresia, ut supra quoque jam meminimus, a communionis suspensa vidit animas frequentissimo cœtu e purgatorio ad cœlos ascendere, sed unam cæteris formosiorum alias ducere, quam Christus obviam veniens blandissimo complexu dignabatur; cum ergo S. Theresia de postremis animabus ex una quereretur, quænam esset illa anima, cui tantæ benevolentia signa Christus exhibebat, audivit esse fratrem e Soc. Jesu, cujus virtuti debeant ipse, quod hodie liberentur. Hoc autem esse Societatis privilegium, ut mortuum Jesuitam obvius Jesus excipiat. Erat autem hic Coadjutor Cordubensi Collegii Ædituus.

Alphonsus Rodriguez Soc. Jesu Coadjutor, ut est in ejus vita, pro virginitibus duabus sororibus suis orans intellexit, utramque sine Purgatorio ituram in cœlum : tertiam vero conjugatam nunc e Purgatorio ad Beatitudinem proficisci. Pro fratre vero quodam Didaco Ruiz, qui per totos 33 annos in cœci officio semper diligens totam fere illic ætatem Christi exegit, orando, si quid unquam illi otii culina concederet, Rosario mire, constanterque addictus : pro hoc, inquam, vita functo dum Rosarium Virginis oraret, jamque duas Rosarii partes absolvisset Alphonsus, piæ sublati in cœlum oculis, vidit fratrem illum felicem ad latus augustissimæ Dei Matris : et ne pro illo orare porro pergeret, utpote pro jam non indigente, monitus, jussus etiam est ire, et



## MEDIA.

*Certo sibi persuadere, quod, quidquid his animabus præstiterimus, Christus sibi præstitum reputet*: quis enim in similibus tormentis constitutum videret, et non omnem lapidem moveret, ut eum, posthabito etiam quocumque suo commodo, iisdem eximeret?

*Insigne in charitate proximi augmentum procurare*: cum enim hæc tam ad omnia mala a proximo avertenda, quam ad omnia bona eidem procuranda conducant, quis non videt, tanto majori ad animas illas juvandas desiderio quemque exarsurum, et quanto amplius in hac charitate progressus fecerit?

*Summam de virtute misericordiæ estimationem concipere*: utpote qua nihil vel ad mitigandam divini Judicis iram efficacius, vel ad ejusdem, omniumque Sanctorum benevolentiam ac favorem promerendum potentius reperitur. Quis enim hac consideratione misericordiæ animabus purgantibus præstandæ, quæ inter omnia misericordiæ opera principalem facile locum tenet, ardentissimum studium non accendetur?

*Gravitate et acerbitate poenarum, quas anima ille afflictæ patiuntur, frequenter et accurate perpendere*: quod quidem breviter, sed sufficienter explicavit S. Anselmus, dum dixit: Quid est purgatorius ignis? post mortem purgatio erit, aut nimis calor ignis, aut magnus rigor frigoris, aut aliud quodlibet genus poenarum, de quibus minimum majus est, quam maximum, quod in hac vita excogitari possit. Unde recte de hoc medio Humbertus illud S. Davidis: «Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.» Ps. cxxvi, 2. Intelligentes, panis doloris, inquit, est panis pro mortuis, qui sunt in purgatorio, exhibitus. Postquam comestus fuerit, surgendum est ad subveniendum eis.

*Animas illas afflictas ut membra ejusdem mystici corporis, vel etiam ut fratres nostros ac sorores intueri*: si enim, teste Apostolo, si quid patitur unum membrum in corpore naturali, compatiuntur omnia membra, I Cor. xii, 26, et ad malum depellendum juvant, sique vel sola sanguinis naturalis participatio tantopere nos impellit ad mutuum invicem auxilium præstandum, ita

ut Salomon dixerit: Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, Prov. xviii, 19, quantos stimulos ad succurrendum animabus sentiet, qui eas, ut commembra spiritualis corporis, longeque præstantiori fraternitatis ex sanguine Christi ortæ vinculo conjunctas aspexerit?

*Peccatorum suorum gravitatem ac numerum frequenter animo objicere*, ac inde debitorum atque poenarum, quæ vel in hac, vel in altera vita ad novissimum usque quadrantem persolvendæ sunt, magnitudinem colligere: hinc enim non leviter impelli nos sentiemus ad S. Danielis consilium amplectendum, quod olim Nabuchodonosori dedit dicens: Peccata tua elemosynis redime, DAN. iv, 24, et iniquitates tuas misericordiis pauperum animarum præcipue in purgatorio detentorum, ut quod misericordiæ genus sicut reliqua longissimo præcedit intervallo, ita merito præ omnibus efficac censetur ad poenas peccatis nostris contractas exsolvendas.

## ASCETICA.

Quinque potissimum sunt, quæ bene dicenda, aliisque inculcanda sunt ab Asceta. Primum est, ut bene percipiat generalia fundamenta ad hanc materiam pertinentia, quorum quidem tria sunt præcipua: 1. Esse purgatorium, animas ibi detentas Fidelium suffragiis juvari, uti novissime definivit Concilium Tridentinum; et pulchre S. Bernardus explicavit sequentibus verbis: Tria sunt loca, quæ mortuorum animæ pro diversis meritis sortiuntur, Infernum, Purgatorium, Cœlum. In Inferno impij, in Purgatorio purgandi, in Cœlo perfecti. Qui in inferno sunt, redimi non possunt, quia in inferno nulla est redemptio; qui in Purgatorio sunt, expectant redemptionem; qui in cœlo sunt, gaudent ad visionem Dei, fratres in natura, cohæredes in gloria, similes in æternitate jucunda. Quia primi igitur redimi non possunt, tertii redemptione non indigent, restat, ut ad medios transeamus per compassionem, quibus juncti faimus per humanitatem. S. BERN., de Quinq. region. 2. Poenas hujus purgatorii gravissimas esse, et quidem triplici ex capite, nempe ob poenam sensus (quæ omnes poenas hujusmodi longissime superat); poenam carentiæ visionis (quæ et ipsa tanto gravior est et

molestior, quanto affectus in illud summum bonum intensior est) diuturnitatem utriusque, quæ et ipsa non leve pondus utriusque addit, quia quo termino quis est propior, tanto sit mora gravior. 3. Cognoscere animas, quidquid a nobis auxilii fuerit exhibitum, idque secundum S. Augustinum tribus modis, nempe per divinam revelationem ipsius Dei, vel per honorum Angelorum manifestationem, vel per animarum hinc exeuntium narrationem: imo ut alii volunt, etiam ipsam revelationem poenarum, quam experiuntur.

Ut sciat potiores modos, et mediâ ad dictas animas et poenis tam gravibus eximendas; quæ quidem S. Antonius non male sequentibus verbis indicavit: Suffragia quidem prosunt defunctis ad absolutionem poenæ, a qua possunt absolvi quatuor modis: Uno modo per intercessionem ipsius capitis, scilicet Christi; et sic juvantur per oblationem Altaris. Secundo per intercessionem quasi privatorum membrorum, id est, per orationes Sanctorum. Tertio per modum redemptionis poenæ, scilicet elemosynarum largitionem. Quarto per modum solutionis poenæ, scilicet per jejuniarum afflictionem; et ad dictos quatuor modos omnes alij reducuntur. S. ANTON., tit. X, § 2.

Ut præstantiam misericordiæ animabus purgantibus præstanda bene penetret, et cognoscat: quæ quidem ex iis circumstantiis, ex quibus magnitudo elemosynæ communiter colligitur, conjici potest: quarum prima est indigentia personæ: quo enim persona aliqua pluribus miseris subjecta est, minusque seipsam juvare potest, tanto præstantior est elemosyna, quæ ipsi offertur: quis autem gravioribus subjectus est miseris? quis minus juvare se potest, quam animæ purgantes? Secunda est Sanctitas egeni: quæ autem sanctorum personæ reperientur inter mendicos, quam animæ purgatorii, utpote ab omni jam nævo et peccati macula purgatæ? Tertia est rei, quæ datur aut procuratur, magnitudo atque præstantia: quid autem melius aut præstantius excogitari potest, quam ipsa felicitas æterna, cujus acceleratio animabus procuratur? Quarta est propria largientis necessitas, si scilicet non tantum superflua, sed etiam necessaria quis largiatur; quis autem, et hoc perfectius præstat, quam qui fructus satisfactorius suorum operum, quem constat omnibus summe esse necessarium, sibi ipsi subtra-

hit, et animabus transcribit? Quinta est affectus dantis: nam ex hoc potissimum benigne mensura taxatur, teste S. Leone. Quis aulem affectus major esse potest, quam ubi liberans, ipsum, ex quo alium liberat, purgatorium subire est paratus?

Ut bene occurrere discat objectionibus, quibus nonnulli ab hoc exercitio præstantissimo misericordiæ impedire alios nituntur, quarum quidem duæ sunt potissimum. Prima est, quod consultius sit pro peccatoribus orare, et alia bona agere, utpote in periculo æternæ salutis amittendæ constitutis, quemadmodum olim Bertrandus Dominicanus censuit, sed facile opinionem suam mutavit, quando ab ipsa quæpiam anima apparente errorem suum deductus est. Certe vel hoc unum sufficere poterit ad dictam opinionem evellendam, quod is, qui animas ea intentione liberat, ut ipsæ postea in cœlis pro peccatorum conversione intercedant, efficacius longe peccatoribus auxilium præstat, quam si ipsemet pro illis orasset, aut opera sua obtulisset. Fortior, saltem in speciem, est altera objectio, utpote ex proprio amore petita, qui suadet ut charitatem ordinatam a nobis ipsis inchoemus, atque adeo nostra prius, postea primum aliorum debita expungamus: quo argumento permotus P. Rodericus Arriaga judicat, omnino facere contra charitatem ordinatam sui ipsius, quisquis omnium operum suorum fructum satisfactorium a se abdicat, et animabus purgatorii transcribit. Atque idipsum adeo per-suasum habet P. Theophylus Raynaudus, ut inter heteroclitas pietates numerare non horreat ejusmodi charitatem. Verum horum argumenta tanti non sunt, ut propter ea recedere quis debeat ab altera opinione, uti fuse, et solide probat in aereo suo tractatu de misericordia animabus præstanda P. Jacobus Montfordus, ubi postquam per aliquot capitula demonstravit, eum, qui suas actiones offert pro animabus, nihil perdere, sed plus mereri, impetrare, satisfacere, imo spem valde magnam concipere posse purgatorii omnino evitandi, tandem capite duodecimo in compendium quasi redigens prius dicta, triplici hac ratione, ostendit, per ejusmodi applicationem nihil contra ordinatam charitatem fieri. 1. Quia mille purgatoria nullius momenti reputanda sunt, si iisdem unicus gradus gloriæ altioris obtineri possit; cum ergo per ejusmodi praxim, et perfectissimam charitatem haud dubie quam plurimum

gradus gloriæ obtineantur, qui sine illa nunquam obtinerentur, recte concluditur, non facere contrarium quid charitati propriæ eum, qui gradus illos gloriæ, quibus fruere, si citius propter applicationem operum sibi factam cœlos ingrederetur, negligit, ut plures, imo infinitos illos gradus gloriæ, quos per totam æternitatem ob istam charitatem animabus exhibitam, percipitur, hoc dilatione comparet. Alioqui sane nec S. Basilius, S. Ignatius, S. Christina Mirabilis, S. Lydwina et alii sancti recte ac prudenter egissent, quando optione sibi facta, cœlos ingrediendi, aut ad salutem proximi procurandam diutius in terris permanendi, hoc posterius elegerunt.

2. Quia qui hujusmodi misericordiam exercet, multo certius sperare potest, se purgatorum evasurum, aut certe diu ibi detentum non fore, quam si sibi ejusmodi sua opera applicasset, ut jam citatus auctor efficaciter probat; ergo etiam ex hoc capite contra charitatem propriam non facit. Imo, ut docet C. Lugo, hoc ipso quod charitatem augeat, sit dignior persona, adeoque facit, ut pœna, quæ prius proportionata erat delictis, jam respectu personæ dignioris nimia sit, atque adeo minui debeat.

3. Quia enim ex una parte possit is, qui actiones suas dicto modo offert, conditionem istam contemnere, ut ealenus dumtaxat intentionem suam hanc validam esse velit, quatenus talis oblatio ad majorem Dei gloriam confert, et charitati propriæ non obstat; ex altera vero parte coronet et præmii Deus voluntatem, quando non invenit facultatem, facile appareat, per ejusmodi applicationem, utpote juxta probabilem pluriæ Ascetarum doctrinam susceptam, nullatenus nocere, plurimum vero ad suum, tum erga Deum tum erga animas affectum, et amorem demonstrandum conducere posse.

Ut solidam sciat præxim, ejusmodi applicationem fructuose faciendi, quæ quidem sapiens citatus Montfordus in sequentibus constituit.

1. Ut quis studeat semper esse in statu gratiæ.

2. Ut opera sua singula studiose perficiat.

3. Ut motiva ad hanc misericordiam excitantia bene ponderet.

4. Ut nunquam renouentur actus, quibus ex uno alterove motivo opera sua quis transcribit.

5. Ut quotidie, si fieri possit renouetur intentio hoc vel simili modo: Ut animas fratrum meorum, aut aliorum o pœnis suis liberem, iisque possessionem æternæ felicitatis acce-

lerem: ut divinæ Majestatis honorem, ejusque gloriæ augmentum procurem: ut benefactori meo liberalissimum gratissimum gratiarum actioni genus repōnam: ut honorem divinum, quam per innumera peccata læsi, meliore, quo possum, modo reparem: ut denique Christo ipsi, et SS. Matrī ejus, et reliquis Sanctis obsequium acceptissimum præstem: ecce, mi Deus, animarum amator zelosissime et tenerrime, offero tibi hodie pro refrigerio animarum in purgatorio, non solum opera bona omnia, quæ hodie facturus sum, vel ab alio quovis pro me hoc die fient, sed et omnia, quæ ullo nunquam tempore facturus sum bona, vel quæ nunquam per vitam pro me fient, imo etiam post mortem pro me offerentur, quantum hoc ex majore tua gloria, divinæque tuæ voluntatis beneplacito fieri a me potest. Accipe, o dulcissime Jesu, exiguum hanc oblationem meam, quam pro animabus mihi dilectissimis facio, et omni possibili affectu ex corde facere desidero. JACOBUS MONTFORT, c. xvii.

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei: » possunt explicari potiora motiva ad misericordiam animabus præstandam excitantia, dicique, recte de hac misericordia usurpari posse illa Thomæ Kempensis verba: Convertite te supra, convertite te infra, convertite te extra, convertite te intra, et ubique motiva succurrendi animabus reperies. Lib. II de Imit., c. xii. Nam 1. supra te, si Deum, Christum, et Sanctos spectes, reperies hanc misericordiam ipsis gratissimam esse, quia Dei cultus amplificatur, Christi merita et sanguis fructuose applicantur, Sanctorum gaudium accidentale plurimum augetur.

2. Infra te, si animas ipsas purgantes consideres, tot motiva invenies, quot titulos in illis objici videbis, nempe quod sint imago et templum Dei, membra corporis nostri mystici, fratres nostri et coheredes æternæ vitæ, pauperes et captivi opem a nobis velut amicis postulantes.

3. Extra te, si periculis, quibus circumdatus es, attendas, tot iterum motiva, quot hostes reperies; qui cum innumeris sint, merito contra eos exercitus animarum purgantium, quas constat, suos liberatores fortissime semper defendisse,

conscribitur, atque de his dicitur, quod Ludovici rex de pauperibus dicebat, quod scilicet sint optima guardia seu custodes corporis nostri. 4. Infra te, inopiam tuam et indigentiam consideres ex una parte, ex altera vero necessitatem orationis, per quam omnia, quæ cupimus, a Deo obtinenda sunt, facile apparebit, potentes, et benevolos patronos tibi necessarios esse, qui tuam in orando impotentiam et imperitiam suppleant, quales præ aliis merito animæ liberatæ plerumque censentur, imo, et ipsa, quam erga eas exercemus, misericordia, utpote quæ, S. Chrysostomo teste, absque ullo impedimento accedit ad thronum Dei, et pro clientibus suis, quæcumque vult, impetrat, spectatam autem, ut æternam felicitatem certius, citius, et copiosius obtineamus, seu, ut alii explicant, ut bene nobis sit ante mortem, in morte, et post mortem. Quæ omnia facile fusius didici, et exemplis illustrari possunt, quem in finem libellus germanicus Lucernæ 1668, impressus et *heilsame Kurtzweil, die Seelen zu fischen* inscriptus c. iv videri potest, ubi fuse hæc motiva explicantur.

Ex occasione ejusdem thematis possunt explicari breviter pleraque ad hanc misericordiam pertinentia, fingendo litteras ab animabus ad nos missas. In quarum prima parte breviter referant illa, quid ipsis post sum a nobis discessum evenerit, et quomodo aut quare purgatorio sint adjudicata. In secunda fingantur petere opem, et pro ratione præcedentia sua in nos beneficia et merita afferre. In tertia media efficaciora ad suam liberationem enarrare. In quarta suas vicissim preces et auxilium polliceri. In quinta ad vitam bene instituendam, ne in eadem tormenta incidamus, hortari.

Ex occasione thematis: « Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. » CANT. vi, 9. Potest hæc sententia animabus liberatis et purgatorio applicari, et potissimum ostendi, quam recte dicantur castrorum acies ordinata. Atque adeo in prima parte ostendatur, quod milita sit vita hominis super terram, et undique hostes ipsum circumdant. Supra se Deus, de quo S. Job dixit: Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? JOB. xiii, 24. Infra se demones. Extra se homines persequentes. Intra se proprias passiones et malos habitus, de quibus Chris-

tus dixit: « Inimici hominis domestici ejus. » MATT. x, 36. In secunda parte (nisi magis placet post singulos hostes explicatos statim id facere) ostendatur, quam potenter animæ purgantes contra hos hostes defendant; quem in finem varia exempla supra allata, maxime de Eusebia Sardinia Duce, aut, quod in libello *Herold* dicto c. xxviii de principe ab Equitibus vestes candidas et deaurata scuta habentibus adjuto legitur, narrari possunt.

Ex occasione thematis: « Vade, vende oleum, et redde creditori tuo: tu autem et filii tui vivite de reliquo. » Potest narrari historia de muliere vidua, quæ nihil habebat in domo sua, nisi parum olei, quod tamen ei iam multiplicavit Eliseus, ut sufficeret ad omnia debita extinguenda. Et inde probari, quod si nos habeamus parum olei spiritualis seu misericordiae erga animas, per hoc simus satisfacturi triplici creditori: nempe *Deo et Sanctis*, quibus cultum debemus: *Proximo*, cui auxilium et charitatem debemus, qualem maxime exercemus, si ea conditione defunctos liberemus, ut precibus suis perquam efficacibus viventes juvent: *Nobis ipsis*, quorum salutem procurare debemus, id quod per hanc misericordiam abunde præstamus, utpote per quam certius (quia est inter certiora signa prædestinationis), citius (quia est optimum medium ad purgatorium evitandum vel abbreviandum) et copiosius (quia cum sit opus misericordiae præstantissimum, et singulariter etiam meritum) beatitudo obtinetur. Quæ omnia fusius probata videri possunt apud Jacobum Montfordum in tractatu de misericordia animabus præstanda, c. viii, ix, x, xi.

Ex occasione thematis: « Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. » MATT. xxv, 24. Potest probari inter certiora signa electorum ad vitam æternam, esse misericordiam animabus exhibitam; ac proinde per vasa et lampades dici potest intelligi corda hominum: per oleum vero misericordiam defunctis exhibitam; per lumen vero charitatis affectum, a quo dicta misericordia imperatur. Quam proinde esse signum valde probabile prædestinationis probatur 1. Testimoniis S. Scripturæ, præcipue sequentium sententiarum: Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. MATT. v, 7. Beatus vir, qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. PSAL. xl, 1.

Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. **TOB. IV. 11. 2.** Auctoritate SS. Patrum maxime Sancti Hieronymi fatentis, nunquam se legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit. **3.** Ex natura et præstantia hujus misericordiæ, ut quæ omnia misericordiæ corporalia opera eminenter continet; unde talis facile respondebit ad quæstiones in judicio a Christo proponendas. **4.** Ex ipsa ratione, quæ suadet, simili mensura, qua mensus quisque est, eidem remetiendum esse. **5.** Ex variis historiis, quarum supra aliquæ sunt narratæ. Pro qua materia utiliter videri potest Montfordus in tract. de *Misericor.* cap. xi.

Potest ex occasione verborum illorum; « Hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. » **JOAN. V.** Purgatorium piscinæ probatica, et animæ ibi detentæ languentibus ibidem jacentibus comparari. **1.** Quia sicut illa piscina dicebatur probatica seu ovilis, quia oves mox immolandæ in ea abluebantur, ita in purgatorio animæ Deo in celo presentandæ purgantur; deinde sicut illa piscina erat proxima portæ urbis Jerusalem, ita purgatorium vicinum est mortis, velut portæ celestis Jerusalem, quatenus per mortem plerumque ad purgatorium, et hinc in cælum itur. Tandem quia sicut illa piscina habebat aquam quasi rubentem, et sanguineam, ita purgatorium continet Sanguinem et merita Christi, in quo animæ illæ a sordibus abluendæ, aut sanandæ sunt. **2.** Quod et ipsæ animæ recte comparantur hominibus in piscina jacentibus, colligitur ex eo, quod sicut ibi erat multitudo languentium, cæcorum, claudorum et aridorum, ita et animæ amore languent, careant visione Dei, non progredi possint ad cælum, et ob contracta membra seipsas juvare non queant. Deinde quod sicut illi agrî diu jacebant, donec Angelus de celo descenderet, et per piscinæ turbationem sanaret, ita et animæ in purgatorio hæere debeant, donec Angelus aut homo misericors per sua opera Christi sanguinem applicet. Ultimo et potissimum, quia sicut agrî illi vehementissime desiderabant hominem, a quo in piscinam mitterentur, ita animæ non minus ardentem desiderant hominem, qui subsidium efficax præstet. Quæ omnia fusiis explicata apud Fabrum conc. 2 in die Animarum videri possunt.

Ex occasione verborum horum: « Magna

est velut mare contritio tua; quis medebitur tui? » **THREN. II. 11.** Potest explicari gravitatis purgatorii, et inde ad commiserationem animarum auditores excitari. Possunt autem ad hunc finem tres maris proprietates servire: **1.** Salsitas et amaritudo illius, per quam recte poena sensus intelligitur. **2.** Obscuritas et profunditas illius, per quam poena damni, id est, separatio temporalis a visione Dei intelligi poterit. **3.** Latitudo, quæ ad diuturnitatem poenarum dictarum explicandam servire poterit. Quæ omnia melius et fusiis proposita videri possunt apud Fabrum conc. 3 in die Animarum, et Montfordum c. III, IV et V.

Ex occasione thematis: « Filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. » **MATT. IX. 48.** Possunt explicari motiva potiora impellendi ad animas juvandas. Nimirum **1.** Equitas. **2.** Utilitas. **3.** Necessitas. **4.** Jucunditas; quam hæc tam præstantium piscium piscatio affert ante, in, et post mortem. **5.** Facilitas. De quibus omnibus vide Fabrum conc. 5 in die Animarum.

Ex occasione thematis: « Misereor super turbam. » **MATT. VIII. 2.** Potest ostendi, cur et quomodo debeamus misereri animarum. Et in prima quidam parte ostendi potest, eas rationes, ob quas uni pauperi præ altero libenter eleemosynam offerimus, in iis magis reperiri. Nempe, quia sunt consanguinei, et fratres, ac sorores nostri: sunt magis miseri juvare se non potentes: sunt magis sancti et grati. In secunda dici potest, quid vel panem (Sacrificii Missæ, vel communionis) vel nummum (id est, eleemosynam, aut opera nostra, aut appreciationem auxilii (rogando Deum, ut multos ad earum commiserationem moveat) offerre possimus. De quibus vide Fabrum in Dom. 21, them. 4 et in Dom. 23, them. 6.

Ex occasione thematis: « Faciam vos piscatores hominum, » comparari potest animarum liberatio piscationi, quomodo in finem narrari historiola supra indicata, de puero matrem piscante. In prima parte ostendi potest, quo instrumento debeamus eas pescari, nimirum *virga intentionis* recta et oblonga, per quam esca porrigitur piscibus: *linea* seu *funiculo* triplici (qui difficile rumpitur) triplicis *charitatis* erga Deum, animas, et nos: *hamo* duplici *misericordiæ* et *justitiæ divinæ* quæ sibi obviare debent in hac animarum liberatione, uti S. David in-

dicavit, dum dixit: Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Et, Quia apud Dominum misericordia, et cõpõsa apud eum redemptio. **Ps. cxx. 3 et 7.** In secunda parte ostendi potest, quas escas appendere debeamus prædicto hamo. Nimirum **1.** Vermiculum, id est, Christum in Eucharistia. **2.** Mortuas et famelicas muscas id est, jejunia aliasque carnis afflictiones. **3.** Sanguisugas, id est, eleemosynas, quæ sanguinem, id est, divitias nostras exsugunt. **4.** Globulos aromaticos, quos aliqui faciunt, mireque conducere experiuntur ad pisces capiendos, per quos globuli precatorii aut aliæ orationes intelligi possunt. **5.** Pisciculos parvos, id est, operum nostrorum fructum satisfactorium. **6.** Cerasa seu alios fructus, id est indulgentias. Pro majori commendatione hujus piscationis in fine insinuari potest, in ea reperiri omnes circumstantias, quæ piscationem jucundam facere possunt, nempe quod locus semper sit obivus multos et pretiosos pisces contineat, et hi quovi tempore, et facile capi queant. Quæ omnia fuse explicata videri possunt in libello *der heilsamen Kurtzweil, die Seelen zu fischen*, c. 1 et II.

Ex occasione thematis: « Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum. » **LUC. XIV. 5.** Ostendi potest, quomodo animas ex purgatorii puteo vel fovea extrahere debeamus. Nimirum vel *scalæ*, id est, missæ, per quam Deus ad nos descendit, et animæ ad Deum, subsidio: vel per *funem* orationis porrectum: vel projiciendo, juxta mortem Elephantorum, ramos mortificationum de corpore nostro præcisos in hanc foveam, aggeremque, per quem animæ ascendunt, struendo: vel *manum*, id est, eleemosynam porrigendo. De quibus videri potest fusiis discurrens Faber conc. 6 in die Animarum. Et Montfordus in tract. de *Miser.*, c. XIII et seqq.

Ex occasione thematis: « In carcere eram et venistis ad me. » **MATT. XXV. 36.** Potest **1.** explicari, quam gravis sit carcer purgatorii, tum propter tormenta in eo sustinenda seu poenam sensus: tum propter obscuritatem, seu carentiam visionis Dei; tum propter diuturnitatem. **2.** Quomodo inde liberari debeant animæ, scilicet vel *demulcendo* Judicem per grata munera, puta sacrificium Missæ, vel per preces et libellum supplicem; vel per lytrum seu redemptionem nummariam, id est, eleemosynas: vel per transla-

tionem poenæ in alterum, puta in nos suscipiendo satisfactionem per jejunia, et alia mortificationis opera. Quæ fusiis explicata vide apud Fabrum in Auctario them. 4, in Dom. 21 post Pent., n. 4.

Ex occasione thematis: « Sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, et a peccatis solvantur, » **II MATT. XII. 46:** dici potest, quod diabolus, sicut alia omnia, ita specialiter hoc opus misericordiæ impedire conetur (pro qua narrari potest historia de Episcopo variis modis impedito, ne Missas pro iis legeret, uti in *Spec. Exemp.* l. c. legere est). **1.** Ab Oriente, quod Deus in justitia exercenda non sit impediendus. **2.** Ab Occidente, id est, purgatorio, quod animæ cupiant ipse satisfacere divinæ justitiæ. **3.** A Septentrione, id est, frigidis peccatoribus, quibus magis subveniendum videtur. **4.** A Meridie, id est, amore proprio, nobis ipsis prius subveniendum esse, suadente. *Spec. Ex.* 3 exempl. **V. Purgatorium.** Quæ omnia fusiis refutata in libello *Heylsame kurtzweil, die Seelen zu fischen* dicto, videri possunt, aut adhuc studiosius a Montfordo, tract. de *Miser. animalibus* præstantia, c. VII, et seqq.

Ex occasione thematis: « Mensuram bonam, et confertam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum: » explicari possunt gradus perfectionis, qua misericordia animabus præstari potest; et in priori quidem concionis parte ostendi potest, quomodo mensuram bonam dare debeamus, scilicet interdum quædam auxilia animabus præstando: *confertam*, omnia totius vite opera aliis pretiosiori titulo non debita, illis transcribendo: *cogitatum*, etiam suffragia post mortem nostram pro nobis persolvenda, ipsis donando: et *superfluentem*, alios etiam ad similem misericordiam incitando, offerendo. In posteriori parte ostendi potest, quomodo ipsæ vicissim procuratorem sint mensuram *bonam*, per defensionem a variis malis et hostibus; *confertam*, per impetrationem bonorum temporalium; *cogitatum*, per virtutum, et meritum augmentum: *superfluentem*, per gloriam in altera vita incrementum.

Ex occasione thematis: « Ut quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multo, et dari pauperibus; » **MATT. XXVI. 9;** potest inutilitas aliquorum medicorum ad defunctos juvandos ostendi, eorum

nepe, de quibus S. Augustinus dixit : Pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuose diligentia sepultura, monumentorum opulenta constructio (adde lacrymæ amicorum) vivorum sunt qualicumque solatia, non adjutoria mortuorum. *Ser.* xxxiv, *de Verb. Dom.* Offerantur itaque horum loco alia quatuor, de quibus Jacobus de Voragine ait : Quatuor sunt genera suffragium, quæ maxime defunctis prosunt, fidelium et amicorum oratio, elemosynarum largitio, salutaris hostiæ oblatio, et jejuniarum observatio. De quibus videri potest libellus der Heylsamen kurtzweil, die Seelen zu fischen, cap. II, § 7, seqq.

#### ALII CONCEPTUS.

B. Joanna a Cruce solebat suas Sanctimonialiales hortari ad contemplationem crebram intolerabilem purgatorii tormentorum, pariterque ad singularem in S. Michaelem pietatis sensum. Quippe quem in extasi vidisset de animis decretoriam ferre sententiam, ex quibus cum aliquam condemnaret, Angeli concinentes : O Deus Majestatis, inquebant, quanta cum misericordia conjuncta est justitia tua, nos te in illis adoramus. Tum vero animas damnatas diris debebant. At quando aliæ ex animis purgatorio carceri adjudicabantur, tum custodes eas excipientes, et ad carcerem illum deducentes, hac spe consolabantur, quod brevi viaræ. HAUT., in *Patroc. defunct.*, l. II, a. 3, n. 728.

Cum venerabilis Mater Catharina de la Croix Ordinis S. Dominici Duaci quondam somnum nocturnum caperet, excitavit eam suus custos, et clara voce significat, aliam Sanctimonialiam, quam nominabat, in Cenobio de la Thieuloye juxta Atrabatam, recens obisse. Quare illa stratu exiliens, diductis in crucis formam manibus, quinies Orationem Dominicam, Angelicamque Salutationem ad illius solationem pronuntiavit. Cujus mortis nuntius cum postero mane Duacum pervenisset, intellectum est, eodem tempore, quo Catharina Dominicana a tutelari expurgata fuerat, animam exhalasse. JOANNES A S. MARLE in *vita*.

Josephus Arriaga Soc. Jesu inter cætera pietatis insignia, nostris graviter decum-

benibus semper advigilabat per noctem, demortuos autem suis manibus componebat, et piacularibus suffragiis prosequatur, idque tam provide ut quo citius eo illius beneficio potirentur, statim a nocte media lustricas preces exhiberet, solitus ad id Officii ab Angelo, si forte altius obdormisset, excitari. ALLEGANKE, in *Bib. script. Societ.*

Joannes de Lugo postquam quæsiit, an suffragium, quod pro uno defuncto offertur, prosit indirecte aliis defunctis, affirmat. Quia, inquit, animæ illæ habent invicem maximam unionem charitatis, et dilectionis mutua : quare necesse est, quod omnes gaudeant de sublevatione alterius, et de remissione ei concessa : ergo habent omnes lætitiarum aliquam accidentalem de illo suffragio : ergo aliquod solatium, et per consequens aliquam penæ diminutionem. In quo sensu non video inconveniens, quod hoc solatium accidentale concedatur in aliis, ita ut per accidens habeant aliquod solatium, accidentale levamentum, perseverante penæ essentiali, ut ita dicam in eodem rigore; nam sicut non omnia gaudia accidentalialia, quæ beati habent in cælo, necesse est, quod oriuntur ex mensura meritum et beatitudinis essentialis, sed possunt provenire aliunde; immo et possumus nostris orationibus ea illis impetrare, ut faletur Suarez tom. de Rel. I, *de Orat.* cap. xiv, possumus etiam eas nostra conversione lætificare, sic possumus dare occasionem alicujus solatii accidentalialis animabus. LUC. disp. XX, *de Pen.*, sect. xx.

S. Bernardinus loc. c. ait : Omnes de paradiso videntes ipsas animas purgatorii futuras eorum socias, et debere replere sedes paradisi, cum beata Virgine Matre Dei orant Dominum Jesum Christum pro eis, quia desiderant ipsas animas ascendere in paradysum. Addit idem Sanctus præterea, animas in purgantibus illis flammis, tam ab Angelis, quam a reliquis Sanctis, frequentes recipere consolationes; ait enim : Et sæpe Sancti, et Angeli vadunt in purgatorium ad confortandum animas, et maxime Angeli, qui fuerunt deputati ad custodiam illarum animarum. S. BERN. tom. VI, ser. xiv. ABULENSIS postquam ostendisset spiritus Angelicos nequaquam esse ponarum illarum ministros, mox subjungit : Ipsi Angeli boni ex Dei voluntate aliquando veniunt ad eos, qui purgatorio igne affliguntur, et consolantur eos, tolerabilia cruciamina patientes,

et revelant eis aliqua de bonis, quæ fiunt in hoc sæculo pro eis, ut inde citius liberentur. Ludovicus Blossius de S. Gertrude refert, quod animam quamdam purgantem in manibus demonis conspexerit, id quod forte divina dispensatione factum est, cum alias dæmones ordinarii animarum illarum carnifices non sint, qui illam flagellabat, et tamen prædicta anima in illo supplicio se nullam inde sentire penam ostendebat, quia ad quemlibet ictum assistentem sibi Angelum quemdam aspexit. En verba Blossii : Anima pro qualibet penâ elevabat oculos ad Angelum, nihil dicens, sed gestu suo indicans se consolationem ab eo recipere, ac citius fore liberandam. Et quidem pro certo credi potest, quod Angelici spiritus sint illi, qui animas purgantes a flammis illis liberatas in cælum usque associant, et in conspectu Dei presentant. Unde S. Mater Ecclesia in Offertorio Missæ defunctorum dicit : Signifer S. Michael representet eas in lucem sanctam. Ubi ostenditur, inquit sanctus Antonius, quomodo animæ educuntur de purgatorio, videlicet per Angelos sanctos eas representantes Archangelo Michaeli, qui cum maximo tripudio, et gaudio totius Curie coelestis ante conspectum Dei statuit eas; quod patet per parabolam ovis ad ovile reportate, cum magno gaudio amicorum, et vicinorum, id est, sanctorum virtutum, seu Angelorum, et animarum de introductione ejus : Unde canit Ecclesia : Archangele Michael, constitui te principem super omnes animas suscipiendas.

Omnes adstricti tenentur ex decreto divinæ justitiæ, donec reddiderint novissimum quadrantem. Cujus ratio est, quia in supernam Jerusalem nihil inquinatum intrare potest. Impossibile est, animam intrare in regnum gloriæ, quamdiu habet aliquid purgandum. Hoc figuratum est in libris Regum, ubi dicitur : « Malleus et securis non sunt audita in ædificatione templi, » prius enim quadrabantur, et dolabantur lapides, et ligna in Libano, et postea collocabantur in templo; sic lapides vivi necessario in hac vita quadrantur, et poliuntur merito, vel post hanc vitam igne purgatorio, antequam superædificentur in cælo. S. BON., *ap. Mansi, dis. III, n. 1.*

Inter alias interpretationes, quas Hugo Cardinalis illis adhibet Psalmi septuagesimi septimi verbis : « Mandavit nubibus desuper, et janua cæli aperuit, » una, et qui-

dem nostro proposito per commoda, hæc est. Per nubes intelliguntur Mandari sacri, et Ecclesiastici, ut sensus sit : Mandavit nubibus, id est, prædicatoribus, et Doctoribus spiritualibus, qui ut plurimum sunt sacerdotes, ad quos pertinet animabus cæli portas aperire, Christi corpus offerendo; Janua enim est Corpus Christi, Joan. 10 : Ego sum ostium. S. Joan. Damascenus observat ab Apostolorum temporibus in Ecclesiam derivatum esse hunc ritum, ut fidelibus in gratia defunctis ex omnibus sacrificiis, quæ offeruntur, pars quædam attributorum mysteriorum. Discipuli Salvatoris, inquit prædictus Damascenus, et Sacri Apostoli sanxerunt, in vivificis, et tremendis Sacrificiis et mysteriis memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt. Advertendum quoque est, quod in Evangelio Missæ de Requiem, specificæ Corporis Christi fiat mentio : Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi; ut videlicet intelligamus, Corpus Christi oblatum, præcipuum esse animarum purgatorii suffragium : quod quidem suffragium, ni fallor, apud Zachariam his verbis prædictum fuit : « In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. » Hujus enim sanguinis testamenti in forma consecrationis Calicis expressa fit mentio, cum dicitur : « Hic est calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti. » Lacus autem mentio fit in offertorio Missæ defunctorum, ubi purgatorium profundus lacus appellatur. Adeo ut dubitari non posse videatur, quin Propheta ad hoc Sacrificium incrementum alluserit, in virtute cujus defuncti a profundo illo lacu liberantur. *Is., disc. XII, n. 3.*

Animam quoque purgantem, in Jona in mare præcipitatum delineatam invenio. Hic enim limitatio trium dierum et noctium tempore, in ventre ceti, velut in obscuro carcere, sine ullo cibo delituit, quemadmodum anima purgans pariter penam limitatam sustinet, non vero æternam. Idem Jonas in ventre ceti Deum oravit, ut de obscuro illo carcere liberaretur; ita et animæ inter illas flammam constitutæ, Deo et hominibus se recommendant, dicentes : « Miseremini mei; et omnes fluctus tui, et gurgites tui super me transierunt; » vere enim de illis dici potest : « Magna est velut mare contritio tua. » Considerastis ne aliquando modum, quo Deus Jonam in ventre ceti liberum exire fecit? Numquid enim Deus ad hanc Jonæ liberationem forte permotus fuit per

triduanum Jonæ jejunium? Aut vero per orationis ejus efficaciam? vel propter bona proposita deinceps divinis præceptis prompte obediendi? Nequaquam hæc omnia ad liberationem Jonæ Deum permoverunt, sed tunc Deus ceto præcepit, ut ex apertis faucibus suis Jonam ad littora Ninivitana sanum et incolumentem evomeret, quando Propheta se in templo sacrificium oblaturum esse promisit, quando enim dixit: Immolabo tibi, tunc dixit Dominus pisci, et vomuit Jonam in aridam: Jejunia quidem, orationes, vigiliæ, dolores patienter tolerati, interni componitionis actus, etc. bona et salutaria sunt opera, nec non ad suffragium animabus illis media convenientia. At vero sacrificium incruentum, ceti id est, purgatorii janam aperit et animam ad cœli littora feliciter appellere facit. *IBID.*, n. 6.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — S. Carolus Borromæus hanc inscriptionem voluit sepulcro suo apponi: Carolus Cardinalis tituli S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolanensis, frequentibus Cleri, populique, ac devoti feminei sexus commendatum precibus se cupiens, hoc loco (in medio templi, ubi cuncti pertransunt) monumentum elegit. *HIERON. MEAZZA, in Stim. quot.*, n. 170.

Est amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis, *ECCLES.*, vi, 10, qui locus recte applicatur amicis, qui in vita honorant et serviunt suis fautoribus, et benefactoribus, post mortem autem sine omni subsidio relinquunt.

Apprehendit Angelus Domini (Habacuc) in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, et posuit eum in Babylone supra lacum. *DAN.*, xiv, 33. Et per hoc significatur, Angelus Custos cujusque animæ incitans alios ad opem suo clienti ferendam. S. ANTONIUS.

Anima in purgatorio est velut Jonas in ceto, viventium destituta suffragiis, hinc de illa vere dicitur: Circumdederunt me aquæ (tribulationum) usque ad animam: abyssus vallavit me: pelagus operuit caput meum. Et, cum angustiaretur in me anima mea, homini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

Cuidam concionatori concionem paranti anima ex purgatorio apparuit dicens: Le-

gatione fungor animarum in purgatorio; hæc enim mandant suis, in derelictis possessionibus constitutis: Miseremini mei saltem vos amici mei. Ex his verbis eras sermonis thema accipies, et repelles ludos execrabiles, quos vidisti, et induces homines, ut defunctorum amicorum subveniant animabus. *VIT. PRÆD.*, p. V, c. VII.

S. Monica in extremis constituta dicebat: Ponite ubicumque hoc corpus, nihil vos ejus cura conturbet. Tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare mei memineritis. Idem nunc animas defunctorum dicere credibile est. *VIT.*, 4 maii ap. *STR.*

Qui vere diligunt amicos suos, ita se erga eos post mortem gerere debent, ut de illis cum veritate dici queat, quod Ecclesia de SS. Apostolis canit: Quomodo in vita dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati. *In Brev. Rom.*

UTILITAS. — S. Hieronymus dicebat, animas, quæ sunt in purgatorio, pro quibus Sacerdos orat, interim tormentum non sustinere, dum Missa celebratur. *BERNARD.*, de *Busto*, s. 13.

Joannes Landspergius inter alia sic orabat: Domine Jesu, ego do illis mortem tuam, et Sanguinem tuum: quomodo enim possum aliter ipsis succurrere, aut mederi? largire tu, ut horum virtute liberentur. *MEAZZA, in Stim. quot.* 272.

Habemus lucrum incomparabile, si pro defunctis orationes assidue fundamus, vel pro illis jejunio, aliisque penitentiae operibus satisfaciamus. *BELLAR. DE GEM.*, *Columb. Jod.*

Carolus V bis mille nummos aureos, quorum singuli habebant pondus viginti ducatorum, cudi jussit, et hos omnes Marchioni de Villareal donavit ob Sponsam Isabellam sibi e Lusitania adductam. Quid Deus infirmitatis liberalior non dabit animas purgatorii veluti Sponsas charissimas in cœlum suis impensis ducenti? *ANDRIES, de Purg.*, s. 169.

Dionysius Rex Siciliae cum Damonem et Pythiam (quorum alteruter mori debebat, unus tanquam reus, alter tanquam obsecrator) alterum pro altero mori contententes vidit, non modo utrique vitam donavit, sed etiam in amicitiam suam velut veros amicos recepit. Quid Deus faciet, si viventes pro mortuis pati et mori velle videat? *VALER.*, l. V, c. VII.

MEDIA AD ILLAS JUVANDAS. — Scauri piscis, cum eorum unus in nassam incidit,

posteriorem sui partem de nassa protendit, inde reliqui circumnantes eum morsu arripiunt, et foras pertrahunt: si vero captus caput de nassa porrigat, reliquorum aliquis eandem porrigit, quam captus arripiens similiter extrahitur. *ELIAN.*, l. I, c. v.

Elephantus quando profundam fossam transire voluit, eorum unus in illam descendit, et pontem quodam modo reliquis facit: per quem ubi transierunt, eundem postea unanimes conatu extrahunt. *IBID.*

Pantheræ cuidam cum catuli in foveam incidissent, illa in publico hominem expectabat, quem tunc leniter apprehensum ad foveam duxit, ubi cum catulos ille eduxisset, illa securum extra solitudinem duxit. *PLIN.*, l. VIII, c. XVII.

Gillardus, cum se cuidam post mortem combustum latere toto ac pectore ostendisset, rogatus, quomodo juvari posset, respondit: Si fratres instanter pro me orent, quantocius liberabor. *JO. NAD.*, in *Anno æter.*, heb. xxiv, n. 4.

Luxemburgensis Spiritus, Mariæ puella quinque Pater et Ave pro illo recitantis brachia, suppositis manibus flectens sustentabat, quo illa facilius laborem ferret. *IBID.*, n. 3.

Bartholomæus Floridæ Vallis conditor, quotidie centies et quinquagesies Psalmum Miserere pro animabus recitabat. *IBID.*, n. 2.

In Monasterio S. Hilarii Lavionensis anima quædam apparens dixit: Dominicis diebus propter gloriam Resurrectionis Dominicæ, et quando pro nobis hostia salutis Deo immolatur, multi nostrum nulla pena afficimur, et ad loca, in quibus corpora nostra jacent, venire permittimur; quæ si aqua benedicta invenimus aspersa, paradisiaca nobis requies videtur. *LUC. LUDENSIS, in Hist. mir. s. Isid.*, c. XXXI.

Solemne est Ecclesiæ feria 2 sacrificium Missæ vel orationes pro defunctis dicere, ut ipso statim hebdomadæ initio quam citissime piorum animæ piaculari prece sublevantur: et quæ reliquos hebdomadæ dies viventibus subsidio dedicat, prius mortuorum, quam mortalium causam perorare. *MEAZZA, in Stim. quot.*, n. 62.

Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aqua, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. *LUC.*, xvi, 24. Quid est, minimum digitorum intingere, nisi aliquid pietatis opus quodcumque mini-

mum pro absoluteione alienjus mortui operari?

## AUCTORES.

Jacobus Montfordus in tr. de *Misericordia animabus Purgatorii præstanda*.

Martinus de Roa in libello *de Seelen Hulf* dicto.

Georgius Ravv. in libello *Herold* appellato.

Jodocus Andries in *Purgatorio Catholice asserto*, cum incitamentis et methodis suffragandi.

Elias a S. Theresia de Jesu in *Legatione animarum fusissime*.

Gaspardus Tausch. in *Matre dolorosa*, p. III, c. vii, per aliquos §§.

Anonymus in libello *Heilsame hurrzweil die Seelen zu fischen*, dicto.

Mathias Faber in *die Commemorationis animarum*. Item in *Concionibus funebribus*.

Joannes Nadasi in *Anno hebdomadarum celestium*, fer. 2; in *Anno Æternitatis* circa finem.

Theophylus Raynaudus, tom. XV, *Heteroclytorum spiritualium*, p. 2.

Georgius Pistorius in *dem allgemeinen Klaghaus*.

Hieronymus Meazza in *Stimulo quotidiano incitante ad defunctorum suffragia*.

Jacobus Hautinus in *Patrocinio defunctorum*.

Josephus Mansi, tr. LXVIII, in *Discursibus*.

## MODESTIA.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, quæ externa hominis membra et actiones juxta status cujusque decem moderationatur. Vel, ut fusius definit Jacobus Alvarez: Est virtus, quæ externos motus et gestus corporis temperat: quæ ludis, et jocis moderationem adhibet: et quæ cultui et apparatus personæ debitum modum (a quo denominationem accepit) imponit.

DIVISIO. — Dividitur a S. Thoma in quatuor species: quarum prima coeret motum